

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5695

**Auteur(s) :** Rotrou de Warwick, Évreux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Muzy, Notre-Dame de L'Estrée (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1144...

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Rotrou, évêque d'Évreux, confirme les donations faites à l'abbaye de l'Estrée par Rahier de Dunjun, Amaury et Nivard de Nonancourt, Raoul de l'Isle et Hugues du Château à la présence de l'évêque Geoffroy de Chartres, l'évêque Hugues d'Auxerre, l'abbé Guichard de Pontigny et l'archiprêtre Guiard.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 429-430.

## Dissertation critique

Datation proposée par A. Le Prévost (voir DELISLE/PASSY, t. 2, p. 429).

Texte établi d'après a

Rotroudus, Dei gratia Ebroicensis episcopus, universis fidelibus sancte Dei ecclesie, salutem in Domino. Quoniam ad episcopos pertinet ea que abbatii et ecclesiis donantur conservare ac tueri, ea propter et nos, quantum ad potestatem nostram et parrochie nostre pertinet, confirmamus et rata esse volumus que dedit abbatie de Strata Raherius de Dunjun, et Amalricus et Nivardus de Nonacuria, et Radulfus de Islo et Hugo de Castello, impresentia domini Gaufridi, Carnotensis episcopi, et domini Hugonis, Autisiodorensis episcopi, et domini Guichardi, abbatis Pontiniacensis, et Guiardi, archipresbiteri nostri, qui affuit ibi vice nostra. Dedit autem predictus Raherius abbatie de Strata, et concessit imperpetuum monachis ibidem habitaturis quantum unus piscator omni tempore in fluvio Arvee, qui locum illum preterfluit, piscari posset. Concessit etiam eis licentiam eumdem fluvium adducendi per officinas suas, sicut idem monachi sibi necessarium estimarent. Et locum congruum pescationi, quem homines vulgari suo gort appellant, quem profecto locum et abbatie situm ipse preambulans demonstravit et certis metis signans monachis libere imperpetuum possidendum concessit. Dedit etiam quemdam fontem qui erat juxta situm abbatie, et usuarium mortui bosci de Museio, hec omnia filiis suis Godefrido et Raherio concedentibus.

Amalricus vero dedit eisdem monachis medietatem territorii Strate, et aream molendini de Francheto, et totam terram de Forgis, et medietatem terre de Borguinville, et hec omnia ita libere possidenda concessit imperpetuum, sicut ipse possidebat, concedente hoc uxore sua Columba, et filiis suis, et Raberio de Dunjun, cum predictis filiis suis, de quorum cassamentis erant que dedit. Nivardus autem de Nonacuria dedit eisdem monachis libere deinceps possidendum bosculum de Faiello, concedente uxore sua et filiis suis Guillone et Gileberto. Radulfus autem de Islo dedit eis unam carrucatam terre apud Merevillam, quod concessit uxor ejus. Hugo de Castello dedit eis imperpetuum pasnagium boscorum suorum, ad opus porcorum qui sui proprii essent. Et usum mortui ligni in

bosco de Crotessio. Et hec in manu Gaufridi, Carnotensis episcopi, posuit et dimisit. Has omnes donationes sigillo suo firmavit tunc dominus Gaufridus, Carnotensis episcopus. Testes sunt hujus rei : Goslenus, prepositus ecclesie Carnotensis ; Galterius, Sancte Marie Blesi canonicus ; dominus abbas de Brolio ; Guiardus, archipresbyter, qui vice nostra ad hoc videndum et recipiendum aderat. Preterea multi monachi, presbiteri, clerici, tam de Carnotensi quam de nostro episcopatu affuerunt, et multi milites, et tam de Drocis quam de vicinis locis plurima populi multitudo. Supradictas ergo donationes, sicut sigillo domini Gaufridi, Carnotensis episcopi, et predictorum virorum testimonio firmate sunt, ita et nostro tam sigillo quam testimonio volumus imperpetuum roborari.